

mutuisse clamoribus invitavit. Quo modo dicunt Hispani cum deprehendunt hostem, aut prædam quam sequuntur: *Ael, ael, no se nos vaya.* Has autem voces non poterat non audire Josaphat, cùm propè esset, et voces quæ regem expetebant, ad mortem essent contentæ vehementer. Quare ille et negare potuit se regem esse Israel, et vultum ostendere, quò quæ verbis significarāt, re ipsa confirmaret. Sed est omnino dicendum clamasse Josaphat ad Deum, cùm urgerent hostes, et Deum illi fuisse auxiliatum vel hostilem temperando furorem, vel cohibendo manum à plagâ, vel faciendo ut duces ad imperium Benadad, in quo divina appetit providentia, de unius Achab exitio cogitarent, et nihil in Josaphat meditarentur hostile. Hoc secundum est mihi certum ex illo 2 Paralip. cap. 18, v. 31: *Cum vidissent principes equitatis Josaphat, dixerunt: Rex Israel est iste. Et circumdederunt eum dimicantes. At ille (Josaphat) clamavit ad Dominum, et auxiliatus est ei, atque avertit eos ab illo.*

VERS. 34. — VIR AUTEM QUIDAM TETENDIT ARCUM, IN INCERTUM SAGITTAM DIRIGENS, ET CASU PERCUSSIT REGEM ISRAEL INTER PULMONEM ET STOMACHUM. Nihil profuit regi Israel deposuisse regum insigne et vestimentum adhibuisse vulgare, ut declinaret vulnus quod timebat, et quod ex Michææ vaticinio suspicari poterat futurum esse lethale; nam telum quoddam incertum, et quasi à ludibrido sagittario projectum, Deus qui errare ab scopo non potest, ad pectus Achab sine errore direxit, ad eam partem in quâ vulnus altius adactum non potest non esse mortiferum. Ubi legimus, *inter pulmonem et stomachum*, lib. 2 Paralip. cap. 18, est, *inter cervicem et scapulas*. Hebraicè utroque loco est *ubenha debakim, ubenha siriam*. Quod alii interpres communiter vertunt, *inter juncturas et loricam*. Chaldæus, *inter juncturas loricæ*. Quæ verba variè à variis explicantur. Quidam putant vulneratum esse regem in inguine, ubi nimirūm femur cum ventre conjungitur, quæ optimè potest appellari juncta, et ubi loricæ, seu thoracis munimentum finitur. Quod mihi idè non placet, quia hæc longè distant à scapulis et cervicibus, ubi in lib. Paral. legimus percussum esse regem. Quare potius arbitror ad illam corporis partem allapsum esse spiculum, ubi pectus cum cervice conjungitur, et ubi à superiori parte finitur loricæ tegumentum; tunc enim verum est inter scapulas et cervicem, et, quod idem fermè est, inter pulmonem et sto-

machum adactum esse vulnus. Hæc explicatio omnes interpretum translationes non inepte conciliat. Licet, ubi duæ sunt vulgatae translationes, ubi loricæ nomen non audimus, non sit admodum de loricæ nomine aut situ curandum. Quòd si loricæ idem sit quod pectus, quia pectus munit, sicut etiam thorax eadem ratione pectus nominatur, quia thorace tegitur, nihil ex his translationibus novis translationi vulgatae paratur incommodi.

VERS. 35. — ET REX ISRAEL STABAT IN CURRU SUO CONTRA SYROS. Licet vulneratus esset ad mortem Achab, neque aliiquid in eo statu nare posset utile rei bellicæ, imò neque bellantes spectare, tamen aliquid videtur mediatus prudenter, quia licet ex acie egressus esset vulneratus, deduci tamen noluit in Samariam, sed stetit in omnium conspectu contra Syros tanquam imperator, qui è separato loco speculator omnia, et pro rerum opportunitate dispensat. Quod fecerint alii tum nostro, tum antiquo seculo, qui imperatorum mortem celaverunt, ne alii deponerent animos; imò et ipsos, quasi vivi forent et valentes, in acie statuerunt, ut suorum confirmarent animos et adversariorum frangerent. Et sanè ita est, et cum suo damno experti sunt magni exercitus cadente duce omnia labascere, non solum quia consilium abest omne, sed quia animi cadunt, aut languescent.

UNUSQUIS REVERTATUR IN CIVITATEM ET TERRAM SUAM. Occidit sub vesperum Achab: tunc autem à tubicine edictum est, ut ex acie omnes in suas domos reverterentur. A quo fuerit indictus ille receptus non constat; est tamen verisimile ortum esse mandatum à Josaphat, cuius tunc in castris erat summa auctoritas, aut ab eo qui secundas post regem partes obtinebat. Neque Syri videntur persecuti dispersos, quia satis habuerunt sibi sublatum esse regem Israel, cuius præcipue caput expetebant.

VERS. 38. — LAVERUNT CURRUM EJUS IN PISCINA SAMARIAE, ET LINXERUNT CANES SANGUINEM EJUS (1).

(1) Nihil expresserat Deus de lotione sive currus, sive habenarum; sed tantum, sanguinem Achabi à canibus fore lingendum. Huc solummodo referuntur ea verba: *Juxta verbum Domini*. Singularis est planè interpretatio Septuaginta reddentium: *Et abluerunt currum super fontem Samarie, et linxerunt sues et canes sanguinem, et meretrices laverunt se in sanguine, juxta verbum Domini*. Textus quidem Hebreus non respuit hunc sensum: *Meretrices laverunt se*. Sed vertendum malumus: *Laverunt habenas, vel lora*. Vox originalis significare potest cin-

1277
Cecidisse dicitur sanguis Achab in sínum curru, vers. 35, quem cùm in piscinâ postero die lavisset, quibus id datum esset negotii, accesserunt canes et linxerunt, sicut prædictum fuerat ab Eliâ. Quomodo autem prophetia impleta judicari debeat, cùm non in agro Jezrael, sed propè Samariam lamberint canes sanguinem Achab, diximus supra, cap. 21, ad illud: *Canes comedent Jezabel in agro Jezrael*.

VERS. 39. — RELIQUA AUTEM SERMONUM ACHAB, ET UNIVERSA QUÆ FECIT, ET DOMUS EBURNEA QUAM AEDIFICAVIT, CUNCTARUMQUE URBIUM, QUAS EXTRUXIT, NONNE HÆC SCRIPTA SUNT IN LIBRO SERMONUM DIERUM REGUM ISRAEL? In principio lib. 1 Regum, Proleg. § 1, diximus quis fuerit liber Verborum dierum regum Juda, vel regum Israel. Neque hic aliquid habemus, quod insuper addamus. Sunt autem verba dierum Ephemerides, seu diariæ rationes, in quas singulorum dierum referuntur gesta, unde historiam Regum, et quæ in Paralipomenis digesta sunt, sumpserunt sacroram monumentorum historici. Et tamen ibi relicta fuere non pauca, quæ citant libri Regum aliquando, et libri Paralipomenon multò frequentius. Ex quo constat libros Verborum dierum, quorum sæpè Scriptura meminit, à libris Paralipomenon esse diversos. Non habemus in libris Paralipomenon ubi, aut qualis eburnea domus fuerit ab Achab aedificata: aedificatam autem fuisse negari non potest, sicut neque hoc in annales regios esse relatum. Quomodo aedificari possit domus ex ebore, diximus supra cap. 10, ad illud: *Fecit quoque rex Salomon thronum de ebore grandem*. Et plura super Amos cap. 3, ad illud: *Peribunt domus eburneæ*. (1)

gulum, quod applicatur vel lumbis vel loris equorum. Reddunt alii: *Laverunt arma Achab*. (Calmet.)

(1) VERS. 44. — VERUMTAMEN EXCELSA NON ABSTULIT, uti nec Asa ejus pater, cuius pietatem filius imitatus est. Legimus tamen in Paralipomenis, Josaphatum excelsa abstulisse. Tripli ratione ista conciliatur. 1º Edita loca, idolis superstitionis, subvertit, non verò quæ Deo Israel sacra erant, uti exposuimus supra, agentes de Asa. 2º In exordio regni sui abolere penitus non valuit edita hæc loca, ubi superstitione sese communiquerat; dein verò id obtinuit regno confirmat. 3º Denique plures viri doctissimi mendum irrepissem in Paralipomenis suspicantur, ut lectio ejus ad normam præsentis hujus reformanda sit, Josaphatum scilicet excelsa non abstulisse. Constat utique, sub Ezechia et Josiâ intacta illa adhuc perseverasse; neque Josaphat locum tenet in censu regum pietatis undique absolutæ apud auctorem Ecclesiasticæ. (Calmet.)

VERS. 45. — PACEMQUE HABUIT JOSAPHAT CUM REGE ISRAEL. Duxit Joram filius Josaphat filiam Achab, ut paulò ante diximus; illa autem affinitas nexus animorum fuit. Quare sicut cum Achab parente studium animumque conjunxit, sic etiam cum illius filio, qui etiam appellabatur Joram, fœdus amicitiamque contraxit. (1)

VERS. 47.—SED ET RELIQUIAS EFFEMINATORUM, QUÆ REMANSERANT IN DIEBUS ASA PATRIS EJUS, ABSTULIT DE TERRA. Supra, cap. 15, vers. 12, Asa dicitur immundities illas sustulisse, quæ è gentili commercio in Dei populum paulatim irreperserant. Qui fuerint isti effeminati, diximus supra, cap. 14, v. 24. Quorum ea fuit sub ea tempora prolyties, ut licet Asa illorum lustra subverteret, et execrable nomen extinguere voluerit, non tamen ita perficere potuit, quod optabat, ut non remanserint ex illo nefario grege non exiguae reliquæ. Quas delere omnino, et ab illâ labe, atque ignominia vindicare conatus est Josaphat; quod ut tentavit piè, sic etiam feliciter consecutus est.

VERS. 48. — NEC ERAT TUNC REX CONSTITUTUS IN EDOM. David rex, ut habes lib. 2 Paralip. cap. 8, v. 14: *Posuit in Idumæâ custodes, statuisse præsidium, et facta est universa Idumæa*

(1) VERS. 46. — RELIQUA AUTEM VERBORUM (id est, rerum et factorum; est metonymia in hisce libris frequens) JOSAPHAT, etc., NONNE HÆC SCRIPTA SUNT IN LIBRO VERBORUM DIERUM REGUM JUDA? nimirūm in chronicis et diariis in quibus verba, id est, gesta regum Juda per singulos dies descripta erant.

Plurima enim heroica facta Josaphat hic brevitatibus studio subtilecentur è quibus nonnulla recensentur 2 Paral. cap. 17, 2, ubi celebratur zelus Josaphat in cultu Dei propagando, et in erudiendo populo, ideoque gloria illi in præmium à Deo retributa. Rursus, eodem libro cap. 19, narratur quòd ipse in Juda reformarit tribunalia, ac judices constituerit levitas, aliquos viros piros et incorruptos. Ad hæc cap. 20 recensetur insignis victoria, quam ipse suâ pietate et prece à Deo contra Ammon et Moab obtinuit, ubi inter alia vers. 12, orans ait: *In nobis quidem non est tanta fortitudo, ut possimus huic multitudini resistere quæ irruit super nos. Sed cum ignoremus quid agere debeamus, hoc solum habemus residui, ut oculos nostros dirigamus ad te*. Quocirca Deus suscitavit prophetam Jahziel, qui ait vers. 17: *Confiderete, et videbitis auxilium Domini super vos*. Fidens ergo ipse castra præcessit, sed ita ut præmitteret cantores Deum laudantes et concinente: *Confitemini Domino, quoniam bonus, quoniam in æternum misericordia ejus*. Cumque hi coepissent canere, Deus hostium insidias convertit in ipsosmet, ut se invicem invaderent, et mutuâ se cæde truncarent. Unde ad unum omnes perierunt, ac supervenit Josaphat cum suis ad spolia eis detrahendis.

(Corn. à Lap.)

serviens David. Quare ab eo tempore usque ad regnum Joram filii Josaphat Idumæis ex Iudæorum genere præfecti præponebantur. Sub Joram autem, ut habes lib. 4 Regum cap. 8, vers. 20 : *In diebus ejus (Joram) recessit Edom, ne esset sub Juda, et constituit sibi regem.* Hoc autem de Edom idè videtur commemoratum hoc loco, ut ostendatur, quo in statu foret sub Josaphat res Judaica, quæ statim rebellante Idumæo suæ dignitatis atque usùs magnum suscepit detrimentum.

VERS. 49. — REX VERO JOSAPHAT FECERAT CLASSES IN MARI, QUÆ NAVIGARENT IN OPHIR. Secutus, ut appareat, Josaphat Salomonis exemplum, instruxit classem quam mitteret in Ophir, ut ea inde comportaret omnia, quibus antea Salomon ornaverat Hierosolymam. Quam ad rem societatem cum illo inire voluit Ochozias rex Israel, qui Achab paulò ante in regno successerat; neque tamen ab eo, quod optabat, obtinuit; sed omnis illius conatus excidit inanis. Cùm enim in Asiongaber, in portu videbatur maris Rubri, gravis esset coorta tempestas, fractæ sunt naves, et omnino dissoluta classis. Quid sit Ophir, quid Asiongaber, diximus supra cap. 9, vers. 26. Neque aliquid amplius, quod huc conferri possit, invenio. (1)

VERS. 51. — DORMIVITQUE JOSAPHAT CUM PATRIBUS SUIS. Quæ reliqua sunt ad finem usque capitis, explicatione non indigent: neque aliud continent quām mortem et sepulturam Josaphat, et quām se gesserit impiè rex Ochozias, qui pro Achab parente in regnum Israel suffectus est; cuius fuit ut regii nominis, sic etiam impietatis legitimus hæres. Quidam sevulum esse putant Josaphat in quādam valle, quæ ab

(1) VERS. 50. — AIT OCHOZIAS FILIUS ACHAB AD JOSAPHAT: VADANT SERVI MEI CUM SERVIS TUIS, etc. Contrarium legitur in Paralipomenis, ubi Josaphat et Ochozias uno consilio classem instruunt, mittendam in Tharsis; sed improbans Dominus illud fœdus, ab Josaphato cum regibus Israelis compositum, id commisit, ut fractis navibus ceptum iter abrumperetur. Discrimen istud conciliatur, si indicamus, Josaphatum primò difficultem se præbuisse ad ineundam cum Ochoziā societatem; quam deinde à se extorqueri passus sit. Commentariorum scriptores alii censem Josaphatum et Ochoziam primò quidem junctâ operâ classem instruxisse; quā Numinis consilio in portu Asiongaber confractâ, novæ societati aures præbere, cùm de reparanda classe ageretur, Josaphatum recusasse. Id autem postremum molimen narrari hic in Scripturâ. Innuitur hāc sententiâ, vel Josaphatum suis sumptibus alteram classem instruxisse, vel consilium mittendi suos itinere maritimo penitus abjeccisse. (Calmet.)

ejus tumulo dicta existimatur vallis Josaphat; de quā Joel. c. 3. Quod hic locus facilè confutat, qui sepultum dicit Josaphat in civitate David cum patribus suis. Cur hæc vallis dicta sit Josaphat, diximus in citatum locum Joeli: neque hic occurrit aliquid, quod adjicere magnum videatur habere operæ pretium. Plura traduntur de Josaphat lib. 2 Paralip. à cap. 17 ad cap. 21, quæ nos, ubi eò ventum fuerit, explicabimus.

*Externa quæ in tempus hujus libri III
inciderunt.*

Totus hic liber, qui extrema continet Davidis gesta, et quinque regum ad mortem usque Josaphat, annos continet 126, quos ita colligo: Salomon regnavit annos 40, lib. 4 Reg. c. 11; Roboam annos 17, 3 Reg. cap. 14; Abias 3, 3 Reg. cap. 15; Asa 41, 3 Reg. 15; Josaphat 25, 3 Reg. 22, qui anni summam complent, quam supra produximus. Sumpsit liber iste exordium ab exordio regni Salomonis, seu potius ab extremitate Davidis. Quo anno mundi incertum, cùm ratio temporum usque adeò sit incerta, ut in eorum calculo nemo ferè cum altero consentiat. Quidam iniisse regnum Salomonem arbitrantur anno ab orbe condito 3023; ita Torniellus. Quidam 3150; ita Genebrardus in Chronicis. Eusebius item in Chronicis 4160; Galarza lib. 7 Institut. evangel. cap. 9, 2930, ubi quartam mundi partem, quæ coepit à Davidis regno, exordium duxisse dicit ab anno mundi 2890; quod si his 40 annos addas, quibus regno præfuit David, in annum 2930, incurris in imperii Salomonis exordium. Ex his sententiis tu illam elige, quam malueris; neque enim ego in tantâ, et temporum confusione, et auctorum varietate, aut affirmare quidquam, aut improbare audeo, maximè cùm ad eam rem statuendam nullum appareat grave in Scripturâ sacrâ fundamentum.

In Salomonis ætatem incurrerunt ex profanis apud Athenienses Agastus rex secundus, et Archippus tertius. Apud Assyrios Eupales trigesimus, et Lasthenes trigesimus primus rex. Apud Lacedæmones Agis rex secundus, et Archestratus tertius, et Labotes quartus. Apud Corinthios Ixion et Agilaus. Apud Romanos Alba Sylvius, sextus Latinorum rex. Hæc ex Eusebio in Chronicis. Eusebius idem lib. 10 Præparat. Evangel. cap. 3, sub hæc tempora floruisse tradit viros quosdam aut musicâ, aut poetica facultate clarissimos, quales fuerunt

Homerus, Linus, Thamyras, Amphion, Orpheus et alii, qui suis aut factis, aut commentis poetarum fabulas impleverunt, quod etiam in Chronicis probat Genebrardus; quod milii difficile est, si ante hoc tempus statuamus excidium Trojanum contigisse. Sed ut hæc tempora fabulosa fuerunt, ita etiam non est mirum, si hæc omnia, cùm plurimum habeant fabularum admixtum, variis sint à variis scriptis temporibus.

Sub Roboam divisum est imperium Israeliticum, cuius decem sibi partes assumpsit Jeroboam filius Nabath, qui fuit primus rex Israel. Quo tempore regnârunt apud Assyrios Laosthenes, apud Lacedæmones Doristhus, apud Egyptios Smerdis, et Sesac, qui et Suchim dicitur ab Eusebio; hunc Herodotus Schestim appellat, ut docet Josephus lib. 8, cap. 4. Apud Athenienses Thersippus, apud Corinthios Tryminas, apud Latinos Sylvius Athi. Hæc ex Eusebio in Chronicis. Idem reges florue-

rot sub Abiâ, qui tribustantūmannis regnavit. Sub Asâ regnârunt in Israel reges septem, Jeroboam, Nadab, Basa, Ela, Zambri, Ambri, Achab. In Assyriâ Privades et Orphratæus; in Lacedæmoniâ Agesilaus. In Ægypto Pseusenus. Athenis Phorbas, Corinthi Bacis, seu Bacis. Apud Latinos Capis Sylvius, et alter Sylvius Capis filius. Ita fermè Euseb. Chron. Sub Josaphat regnârunt in Israel Achab et Ochozias illius filius. In Assyriâ Orphratæus. In Lacedæmoniâ Archelaus, Athenis Mecades, Corinthi Agelas. Apud Latinos Capetus Sylvius, et Tiberinus Sylvius, qui fluvio Tiberi nomen dedit, cùm prius vocaretur Albula, et Agrippa Sylvius. In Ægypto Nephîr Chères, Amenophis, Osochor, Spinaces. Ita ferè Eusebius in Chronicis. Alia ab aliis adduntur plurima, quæ minus certa sunt, et illa accuratius explorare longi esset negotii, et non valde ad interpretis institutum; quare prudens ab illis abstineo, hæc strictum attigisse contentus.

INDEX RERUM.

Columna
SEQUITUR SANCTII IN LIBRUM II.
REGUM COMMENTARIUM. 9-10

Caput VIII. Narrantur plurimæ Davidis victoriæ. Mittit Thou rex Emath filium suum congratulans, et regi gratias agens. Recensentur Davidis principes. 10

Commentarium.
Caput IX. David accersit Miphiboseth, filium Jonathæ. 31

Commentarium.

Caput X. Legatos Davidis rex Ammonitarum contumelias afficit. Ammonitarum et Syrorum clades. 41

Commentarium.

Caput XI. In adulterium David incidit cum Bethsabee uxore Uriæ. Jubetur Job ut periculo Uriam exponat. Post mortem Uriæ, Davidis uxor fit Bethsabee. 55

Commentarium.

Caput XII. Nathan de suo peccato Davidem arguit. Culpan rex confessus, hujus tantum remissionem obtinet; propheta enim inter alias poenas illi nuntiat mortem filii adulterini. Salomonis nativitas. Rabbath expugnat, sævitiae adhibitat contra Ammonitas. 81

Commentarium.

Caput XIII. Amnon filius Davidis incessum patrat cum Thamar sorore Absalom; stupratam illam tantum odit quantum antea dilexerat. Amnoni mortem intentat Absalom, et ad Tholomai regem Gessur aufugit. 127

Commentarium.

Caput XIV. Reditum Absalom à Davide Job obtinet; Jerusalem revertitur Absalom, et per Job facultatem obtinet prodeundi coram Davide. 135

Commentarium.

Caput XV. Absalom regem sese declarare facit in Hebron. A Jerusalem David aufugit. Ethæi, Gethæus, illi adharet. 153

Commentarium.

Caput XVI. Fames trium annorum in Israele. David Gabaonitis tradit septem viros de familia Saülis. Pietas Respha in corpora illorum principum. Illos sepeliri jubet David. Bella contra Philistæos. 329

Commentarium.

Arcam et summos pontifices Jerusalem reverti jubet, neconon et Chusai, ad erenda Achitophelis consilia. 181

Commentarium.

Caput XVI. Siba servus Miphiboseth suum dominum calumniatur apud Davidem. Semei Davidem contumelias afficit. Jerusalem ingreditur Absalom. Coram illo Chusai prodit. Concubinas patris sui stuprat Absalom. 213

Commentarium.

Caput XVII. Consilium dat Achitophel persequendi Davidis; hoc autem consilium eruit Chusai, et monet Davidem, qui Jordanem transgreditur. Suspensio interit Achitophel. Davidem persequitur Absalom. Cibaria Davidi præbentur. 229

Commentarium.

Caput XVIII. Victoria exercitus Davidis in Absalomem, qui fugiens arbori suspensus hæret. Illum Job translitig. Filii sui mortem David luget. 235

Commentarium.

Caput XIX. Mortem Absalomis Davidem lugere non cessantem Job cogit pro dire coram populo. Tribus Iuda illum Jerusalem redit. Ignoscit Semei. Recipit Miphiboseth. Suum regi filium Berzelli permittit. Israelis querela contra Judam. 279

Commentarium.

Caput XX. Novam seditionem movet Seba contra Davidem. Invidus fit Job fiducia Davidis in Amasam, et hunc interficit. It obsecum Abel, quod Seba sese receperat. Occiditur Seba. 287

Commentarium.

Caput XXI. Fames trium annorum in Israele. David Gabaonitis tradit septem viros de familia Saülis. Pietas Respha in corpora illorum principum. Illos sepeliri jubet David. Bella contra Philistæos. 307

Commentarium.